



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. I. An dentur in nobis virtutes morales per se infusæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

*hæc tanquam nihil sit aliud, intueri; temperantia, A
revertens cupiditates non reprimere, sed penitus obli-
visci; fortitudinis, passiones ignorare, non vincere; i-
ustitia, ita cum divina mente sociari, ut servet perpe-
tuam cum ea se dicit imitando.*

Disputant verò Theologi, an hæc divisio sit
in diversas species virtutis, sed solum in diver-
sos status ejusdem virtutis? Quæ difficultas non
procedit de virtutibus exemplaribus: cum enim
virtutes illæ non sint humana, sed divina, evi-
dens est illas plusquam specie differre à nostris.
Solum ergo quaeritur de aliis tribus, quæ politi-
cæ, purgatoriae, & purgati animi dicuntur, an es-
sentialiter differant, & dividant genus virtutis,
an solum accidentaliter, & penes diversos status
ejusdem virtutis?

Respondeo breviter cum Cajetano & aliis
Thomistis, hæc tres virtutes, politicas, purgato-
rias, & purgati animi, non esse specie diversas,
sed diversos status ejusdem virtutis, secundum
diversas perfectiones; sicut pueritia, adolescen-
tia, & virilitas, non faciunt diversos homines,
sed diversos status ejusdem hominis. Idem enim
habitus qui initio sunt virtutes politica, quia
passiones ad medium rationis reducunt (per
quod homo fit animal perfectè politicum, & re-
ctè disponitur ut bene se habeat in rebus huma-
nis gerendis) perficiunt intantum ut passionum
immoderantiam tollant, & tandem usque adeo
ascendunt, ut animum omnino purgent à terre-
nis cupiditatibus, & passionum perturbationibus
liberent.

Confirmatur: Omnes virtutes morales, quas
habemus in via, post resurrectionem remane-
bunt in patria eadem specie, & aliquando ead-
dem numero: Sed in patria omnes sunt purgati
animi, in via autem ut plurimum politica, vel
ad summum purgatoria: Igitur hæc divisio est
in diversos status accidentales virtutis. Nec ob-
stat quod habeant diversos actus: illi enim non
differunt essentialiter, sed tantum accidentaliter,
quia semper producentur sub eadem ratio-
ne formali unius & ejusdem virtutis.

Solet etiam dividi virtus moralis in heroi-
cam & communem, seu vulgarem. Quæ distin-
ctio sumpta est ex Aristotele 7. Ethicorum, ubi
eam distinguit tria circa mores fugienda, vi-
tium, incontinentiam, feritatem; vitio aut oppo-
nunt virtutem, nempe vulgarem & communi-
ter dictam, continentiam vero incontinentiam;
eandem feritati (quæ est status vitii deterrimus
& immanis, quo homo in bestiam prope dege-
nerat) virtutem heroicam, quæ sive ob excel-
lentiam operis, sive ob circumstantiam interve-
nientem quæ opus reddat difficillimum, erumpit
in actum superantem communem modum
operandi humanum.

Hæc etiam divisio non est essentialis, sed dun-
taxat accidentalis: cum enim sit eadem virtutis
communis & heroica ratio motiva, eadem item
utriusque natura & subiectum, non est unde eas
virtutes discernamus specie, sed sufficit si statu &
perfectione accidentaria distinguantur; quo pa-
to vir à puero perfectione essentiali non
differt, sed statu intra eandem spe-
ciem vario.

DISPUTATIO IV.

De virtutibus moralibus infusis.

Ad quaestionem 63. Divi Thomæ.

HUC usque egimus de virtutibus morali-
bus acquisitis, quæ à ratione naturali de-
pendent, & ex ejus influxu in nobis cau-
santur: nunc disputandum est de aliis virtutibus
moralibus, quæ ab aliquo alio altiori principio,
scilicet Deo, causantur in nobis, & unà cum gra-
tia habituali infunduntur; ideoque infusæ ap-
pellantur: de quibus disserit S. Thomas hic quæ-
st. 63. art. 3. & 4.

ARTICULUS PRIMUS.

An dentur in nobis virtutes morales per
se infusæ?

QUOD dentur virtutes aliqua per se infusæ,
nempe Theologica, fides, spes, & charitas,
certum & indubitatum est apud Theologos, ac
definitum in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7.
his verbis: In ipsa iustificatione cum remissione pec-
catorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Ie-
sum Christum, cui infertur, fides, spes, & charita-
tem. Unde solum difficultas est & controversia
inter Theologos, an præter virtutes Theologi-
cas, dentur etiam virtutes morales per se infusæ
cum gratia sanctificante, & cum ea indissolubi-
liter connexæ, temperantia scilicet, fortitudo,
iustitia, & prudentia, quæ ab acquisitis specie &
essentialiter distinguantur? Ad cujus eviden-
tiam

Sciendum est, quod aliqua virtus potest esse
infusa dupliciter, vel per se, vel per accidens.
Est infusa per se, quando ex propria natura ha-
bet ut à solo Deo effectivè producatur, quia est
ordinis supernaturalis & divini. Et hoc modo
charitas, & aliæ virtutes Theologica, dicuntur
per se infusæ, quia à natura nulla sunt indita
principia, quibus acquirantur. Dicitur autem
virtus infusa per accidens, quando ex propria
natura habet ut possit per actus nostros acquiri,
& tamen per accidens, ex aliqua dispensatione
divina, alicui infunditur: & hoc pacto dicuntur
infusæ primo Parenti, & etiam Christo Domi-
no, virtutes ex genere suo acquiribiles. Præsens
ergo difficultas non procedit de virtutibus hoc
secundo modo infusis, sed de virtutibus morali-
bus infusis per se, seu quæ de se, & ex natura sua
petunt à Deo infundi. Has enim negant Scotus,
& ejus discipuli; admittunt verò cæteri Theo-
logi, cum S. Thoma hic art. 3. Scoti sententiam,
ut erroneam, vel temerariam, aut saltem ut om-
nino improbabilem, post definitionem Cle-
mentis V. in Concilio Viennensi, rejicientes.

S. I.

Conclusio affirmativa statuitur, & auctoritate Scripturae, SS. Patrum, & Concilij Viennensis firmatur.

2. **D**ico igitur, necessario admittendas esse virtutes morales per se infusas.

Probatur primò ex Scriptura: dicitur enim Sapient. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet (supple divina sapientia) & iustitiam, & virtutem, quibus nihil est utilius in vita hominibus, Et contra: Sciri quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Sed quod Deus docet, & dat, habetur solum per infusionem à Deo: Ergo datur in nobis aliqua sobrietas, seu temperantia, prudentia, iustitia, & fortitudo (quæ sunt virtutes morales & cardinales) infusa à Deo, subindeque virtutes morales infusa necessario admittendæ sunt. Unde Glossa ibidem ait: *Has autem virtutes nemo habet, nisi cui omnium virtutum origo Deus contulit.**

Hoc idem confirmant Thomistæ ex pluribus aliis Scripturæ testimoniis: Sapient. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Ubi per innumerabilem honestatem, secundum Glossam, intelliguntur virtutes, quæ circa bonum honestum versantur. Item, ad Galat. 5. fructus Spiritus Sancti dicuntur gaudium, pax, benignitas, mansuetudo, continentia, castitas, &c. quæ sunt veræ virtutes morales; dicuntur verò fructus Spiritus Sancti, quia ab eo specialiter infunduntur.*

3. Favent etiam SS. Patres: Augustinus enim Tract. 8. in 1. Epist. Joannis, asserit pietatem, castitatem, modestiam, sobrietatem, & similes virtutes, quæ non possunt esse nisi morales, residere in anima iusti, tanquam exercitum cui Christus imperat, & quibus utitur ut ministris, cum incipit in nobis habitare per gratiam. Gregorius verò homil. 5. in Ezechiel. hæc scribit: *Potest mobilitas spiritus aliter intelligi: in Sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet, juxta quasdam verò recessurus venit, & venturus recedit. In fide enim, spe, atque charitate, & in aliis bonis, sine quibus ad caelestem patriam non potest veniri sicut est humilitas, castitas, iustitia, misericordia, perfectorum corda non deserit; in prophetia verò virtute, doctrine sacundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. Quibus verbis aperte docet Spiritum Sanctum habitare in cordibus nostris, & in anima permanere, non solum ratione charitatis, sed etiam per humilitatem, castitatem, iustitiam, & misericordiam, quæ sunt virtutes morales, subindeque virtutes morales à Spiritu Sancto nobis infusas, unà cum gratia sanctificante, E*

4. Nec valet quod ait Vazquez, omnia illa loca intelligi posse de virtutibus acquisitis. Nam contra est, quòd virtutes acquisitæ non veniunt cum sapientia, non dicuntur fructus Spiritus Sancti, non semper comitantur iustos, non necessariæ sunt ad vitam æternam, nec per eas dicitur Christus vel Spiritus Sanctus in nobis habitare. Denique alia eorum virtutum moralium, quæ in Scriptura & Patribus habentur, non possunt acquisitis adaptari.

5. Accedit auctoritas Concilij Viennensis, ubi Clemens V. qui Concilio præerat, postquam

A retulit diversas Doctorum opiniones circa infusionem habituum quæ fit in Baptismo, sic ait: *Nos attendentes generalem efficaciam moris Christi, quæ per Baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorẽ, & dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum Theologie magis consonam, & concordem, sacro approbante Concilio, duximus seligendam. Quibus verbis Concilium nostram opinionem eligit ut probabiliorẽ, & dictis Sanctorum Patrum, & Theologorum magis consonam.*

Nec dici potest, quòd cum Concilium præfert sententiam, quæ docet in Baptismo gratiam & virtutes infundi, loquatur solum de virtutibus Theologicis, non de moralibus. Nam Pontificis mens (ut fatetur Vazquez) fuit definire quæstionem quam Innocentius III. in Concilio Lateranensi in decimâ reliquerat: Sed quæstio illa erat non solum de virtutibus Theologicis, sed etiam de moralibus: Ergo, &c. Minor probatur ex verbis Innocentij, nam in cap. *Maiores*, sic habet: *Illud verò opposites (id est hæretici) inducunt, fidem, aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur absolute, cum propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur. Si autem solum fuisset controversia de virtutibus Theologicis, postquam Pontifex dixit, fidem, aut charitatem, non debuisset subdere, aliasque virtutes, in numero plurali, quia præter illas duas virtutes Theologicas, est tantum una alia, nimirum spes: Ergo, &c.*

Confirmatur: Clemens qui præfuit Concilio Viennensi, verbis illis, dictis Sanctorum, ac modernorum Theologia Doctorum magis consonam, significat se loqui de controversia quæ suo tempore extabat inter Theologos: At certum est eo tempore, nimirum circa annum 1311. quò Concilium Viennense celebratum est, fuisse maximam inter Theologos dissensionem, & controversiam de infusione virtutum moralium, Scotistis illam negantibus, affirmantibus verò Thomistis, qui semper pro veritate acriter decertarunt: Ergo Concilium intendit, quòd non solum virtutes Theologicas, sed etiam morales infunduntur à Deo parvulis in Baptismo unà cum gratia sanctificante. Unde Catechismus Romanus hanc Concilij Viennensis definitionem sequutus, parte 2. cap. 2. §. 1. numerans effectus Baptismi, qui cum gratia tribuuntur, sic ait: *Huic additur nobilissimus omnium virtutum communitus, quæ cum gratia divinitus infunduntur.*

S. II.

Rationibus Theologicis eadem veritas suadetur.

Variæ à Cajetano, & aliis Thomistis adduci solent rationes Theologicæ, ad probandum necessario admittendas esse virtutes morales per se infusas.

Prima sic potest proponi: Homo constitutus per gratiam in esse supernaturali, non minus debet esse perfectus in operando modo supernaturali, quam in ordine naturæ in operando modo naturali; gratiæ enim in suo ordine non minor debetur perfectio, quam in suo debetur na-

turæ, Sed in ordine naturæ perficitur homo non solum circa suum ultimum, quod habet à naturali synderesi, naturalique rectitudine voluntatis, sed etiam circa fines non ultimos, quod habet per virtutes morales acquisitas. Ergo similiter in ordine supernaturali utramque perfectionem habere debet, subindeque ordini gratiæ debentur non solum virtutes Theologicæ, quibus homo perficitur & ordinatur ad beatitudinem supernaturalem, sed etiam virtutes morales infusæ, quibus in ordine supernaturali perficitur in ordine ad media, quæ ad illam conducunt. Virtutes enim morales acquisitæ, cum sint ordinis naturalis, & à prudentia naturali regulentur, nec finem supernaturalem, nec media ad illum conducunt valent attingere.

7. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Natura humana v.g. est radix omnis perfectionis, quæ sibi debetur sive circa finem, sive circa media; ideoque nulla est virtus acquisita, quæ non sit aliquo modo à tali natura mediante distamine prudentiæ, & influxu rationis. Ergo similiter gratia debet esse radix omnis perfectionis, omnisque virtutis sibi debita; alias ista erit sibi minus sufficiens, illiusque ope indigebit: Cum igitur gratiæ debeantur non solum virtutes perficientes hominem circa ultimum finem supernaturalem, quæ sunt virtutes Theologicæ, sed etiam perficientes circa media, quæ sunt virtutes morales, debent omnes ab ipsa gratia oriri, atque adeo præter virtutes Theologicas admitti debent virtutes morales supernaturales, & infusæ.

8. Respondent primò Adversarij, virtutes morales acquisitas sufficienter elevari per imperium charitatis ad attingenda media supernaturalia, necessaria pro obtinendo fine supernaturali, subindeque virtutes morales infusæ ad hoc non esse necessarias, nec ordini gratiæ debitas.

Sed contra primò: Licet per imperium charitatis virtutes morales acquisitæ eleventur ad finem supernaturalem, ad illum tamen elevantur ut quid improportionatum & inferioris ordinis, tantumque eis imperat charitas, ut extraneis ministris, & alienis instrumentis: Ergo nisi dentur virtutes morales infusæ ex propria natura aptæ naturæ charitati inservire, & operari propter ejus finem, non manebit supernaturalis ordo perfectus.

Contra secundò: Licet charitas det virtutibus moralibus acquisitis relationem ad finem ultimum tanquam ad finem extrinsecum, non tamen immutat earum objecta, neque facit, ut attingant in nostris operationibus medium, quod ratio supernaturalis constituit, quod est bonum supernaturale honestum; alias tales virtutes non modo quoad relationem charitatis, sed etiam quoad tendentiam ad objectum, & secundum suam substantiam essent supernaturales: Ergo ex eo quod charitas imperet virtutibus moralibus acquisitis, non tollitur necessitas virtutum moralium infusarum, quibus medium supernaturale attingatur.

Tertiò: ut virtus acquisita, v.g. fortitudo, possit imperari à charitate, debet prius naturæ imperari à fortitudine infusæ, ita ut hoc imperium sit dispositio ad illud: cum enim virtus acquisita, & ejus actus sint infimum in ordine naturali, & virtus charitatis supremum, nequit ab illis ad hunc imperium perveniri, nisi per ali-

Tom. 111.

A quod medium, quod est virtus moralis infusæ. Congruitque hoc ordini divinæ providentiæ, quæ infima movet per media, & hæc per superiora. Deficiente ergo virtute morali infusæ, non posset motio charitatis ad acquisitam pertingere, neque ejus actum meritorium seddere; ut expressè docet S. Thomas quest. de virtutibus art. 10. ad 4. his verbis: *Cum nullum meritum sit sine charitate, actus virtutis acquisitæ non potest esse meritorius sine charitate. Cum charitate autem simul infunduntur alia virtutes: unde actus virtutis acquisitæ non potest esse meritorius, nisi mediâ te virtute infusâ; nam virtus ordinata in finem inferiorem, non facit actum ordinatum ad finem superiorem, nisi mediâ te virtute superiori.*

B Respondent secundò Adversarij, ad attingenda media supernaturalia sufficere Spiritus sancti dona.

Sed contra: Dona Spiritus sancti ponuntur solum ad operandum modò extraordinariò, etiam intra ordinem supernaturalem, ex instinctu scilicet & motione speciali Spiritus sancti, ut dicemus in ultima disputatione: Ergo præter dona admitti debent virtutes morales infusæ ad operandum modò ordinariò intra ordinem supernaturalem.

Secundario est, quam D. Thomas hic art. assignat. Virtutes Theologicæ se habent in ordine gratiæ, sicut se habent synderesis & appetitus naturalis beatitudinis in ordine naturæ; nam sicut per hæc principia naturalia ordinatur creatura intellectualis ad finem naturalem, sic per virtutes Theologicas ordinatur ad finem supernaturalem: Sed ex efficacia horum principiorum naturalium habentur virtutes morales ordinis naturalis, ac proinde acquisitæ, ut communiter conceditur: Ergo cum non sit minor efficacia virtutum Theologicarum, ex illis procedunt virtutes morales ejusdem ordinis, in eodem instanti cum ipsis infusæ; quicquid enim est in nobis ordinis supernaturalis, debet à Deo ut auctore supernaturali produci, ac nobis infundi.

D Tertia ratio: Tot debent poni potentia & habitus, quot sunt objecta formaliter distincta: Sed in materia morali, circa quam versantur virtutes morales, dari potest duplex objectum formali, prorsum diversum, unum naturale, & aliud supernaturale: Ergo etiam distingui debent duo genera virtutum moralium, & præter naturales & acquisitas, admitti alia, quæ sint supernaturales & infusæ. Major constat: unitas enim & distinctio specifica potentiarum & habituum sumitur ex unitate & distinctione objectorum formalium, ut docetur in Philosophia. Minor verò suadetur: Objectum formale virtutis moralis est medium per prudentiam & rectam rationem in passionibus & operationibus humanis constitutum: Sed tale medium potest esse duplex, naturale scilicet, & supernaturale: Ergo & objectum formale virtutum moralium. Minor probatur: nam si prudentia innixa principiis practicis naturalibus, per synderesim cognitis, dicitur & constituit tale medium, illud erit naturale; supernaturale verò, si constituatur à prudentia supernaturali & infusæ, quæ innititur virtuti Theologicæ fidei: hæc enim se habet in ordine supernaturali ut synderesis.

Potest hoc variis exemplis illustrari & declarari. Primum est in materia temperantiæ: V u mode-

moderatio enim passionum & delectationum A gustus & tactus, quæ est medium huius virtutis, vel potest elici ut expedit ad rectum usum rationis naturalis, & vitam corporalem secundum regulam naturalis rationis, & sic est obiectum naturale; vel prout expedit ad supernaturalem vitam gratiæ secundum regulas fidei, & prudentiæ infusæ, quæ multoties petunt maiorem parcitatem, aut etiam omnimodam abstinenciam, adversariam sanitati corporali, five ad liberius Deo vacandum, five ad satisfaciendum pro peccatis, five ad corporis castigationem, & subjectionem carnis ad spiritum, & sic hac ratione est obiectum supernaturale. Similiter æqualitas in operationibus, id est æquum, quæ est B medium virtutis iustitiæ, vel potest fieri inter homines, ut sunt cives humana civitatis, huius universi vitæ & ratione naturali præditi, inter quos debet servari humana societas & pax; & hoc modo est medium naturale specificans iustitiam acquisitam, vel potest fieri inter homines, quatenus sunt cives Sanctorum, & domestici Dei, præditi supernaturali lumine, & capaces beatitudinis æternæ, inter quos debet altiori ratione pax & societas conservari, & hoc pacto est medium supernaturale, & obiectum iustitiæ infusæ. Idem proportionaliter de fortitudine dicendum est: nam si habeat firmare appetitum contra mortis pericula in bono naturali, & in ea mensura, quam ratio naturalis servandam esse dicat, constitueretur obiectum fortitudinis acquisitæ; ut si quis pro defensione patriæ firmus maneat contra pericula mortis: si verò firmer in bono supernaturali, ut contingit in martyrio, in quo pro defensione fidei Christianæ Martyres sustinent mortem, erit obiectum fortitudinis infusæ.

12. Quarta ratio: Ubi est diversum esse, & diversa vita, ibi sunt diversæ operationes, & diversæ virtutes. Sed homo per gratiam habet diversum esse, scilicet divinum, & diversam vitam etiam C moralem, nempe divinam & supernaturalem: Ergo in ordine gratiæ dantur diversæ operationes, & diversæ virtutes, non solum Theologica, sed etiam morales.

13. Ultima ratio: Datur prudentia infusæ: Ergo dantur etiam alia virtutes morales per se infusæ. Consequentia patet: requiritur enim necessario virtus in appetitu proportionata ad illud eligendum & exequendum, quod prudentia dicat. Antecedens vero probatur: Licet enim per fidem & Theologiam cognoscatur in universali & speculative medium in passionibus & actionibus humanis servandum in ordine ad finem & beatitudinem supernaturalem; illa tamen non sufficiunt ad dicendum tale medium E in particulari hic & nunc esse eligendum, ut operatio sit recta, & fini supernaturali accommodata; & multo minus ad iudicandum practicè per modum imperij, tale medium esse executioni mandandum. Ergo ad hæc munera obeunda prudentia infusæ & supernaturalis necessario admittenda est.

§. II.

Solvuntur objectiones.

14. **O**bjicies primò: Habitus virtutis ponitur ad tribuendam potentiæ facilitatem respectu actus: Sed homo per infusionem gratiæ non

recipit hanc facilitatem, cum non minus difficile operetur bonum, quam si gratiam recepisset, ut experientiâ patet, peccatores enim operibus vitiosis assueti, quando convertuntur, & gratiam consequuntur, operantur cum magna difficultate, & renisu appetitus sensitivi, opera vitiosa, donec per illorum exercitium virtutes acquirant: Ergo in justificatione non infunduntur illis habitus virtutum moralium una cum gratia sanctificante.

Confirmatur: Signum virtutis est operari cum delectatione: Sed peccator, qui in justificatione recipit gratiam, non statim cum delectatione elicit actum virtutum moralium: Ergo non recipit cum ea virtutes morales.

Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: Habitus virtutis ponitur ad tribuendam potentiæ facilitatem, intrinsecam consistentem in complemento & ultima perfectione potentiæ operativæ, concedo Majorem: facilitatem extrinsecam, quæ provenit ex remotione impedimentorum, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Homo per infusionem gratiæ non recipit facilitatem ad operandum, extrinsecam, concedo Minorem: intrinsecam, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur solutio: Duplex dari potest facilitas respectu alicujus actus; alia per se & intrinsecam, quæ consistit in eo, quod principium elicitive talis actus sit sufficienter proportionatum & completum respectu illius: alia extrinsecam, quæ provenit ex remotione impedimentorum, aut indispositionum, quæ etiam existente perfecto & completo prædicto principio impediunt, vel reddunt difficile exercitium operationis. Virtus ergo five acquisita, five infusæ, tribuit primam facilitatem, quia essentialiter habet complere potentiam elicitive actus: secundam vero tribuit virtus acquisita, non formaliter, quia ipsa sit ablatio talium impedimentorum, sed concomitanter, quia requirit ad sui generationem exercitium multorum actuum, per quos illa impedimenta tolluntur. Ex quo patet cur in peccatoribus de novo convertis & justificatis exercitium bonorum operum sit laboriosum, illique cum magna difficultate & renisu appetitus sensitivi operentur; quia nempe per virtutes infusæ, una cum gratia sanctificante in justificatione receptas, non fuerunt sublata impedimenta extrinsecam, quæ bonorum operum exercitium laboriosum & difficile reddunt; hæc enim non tolluntur, nisi per actus virtutum sæpius repetitos.

Ad confirmationem responderet Divus Thomas quæst. de virtutibus art. 10. ad 15. quod quia à principio virtus infusæ non semper ita tollit sensum passionum, sicut virtus acquisita, propter hoc à principio non ita delectabiliter operatur. Non tamen hoc est contra rationem virtutis; quia quandoque ad virtutem sufficit sine iustitia operari; nec requiritur quod delectabiliter operetur propter molestias quas sentit, sicut Philosophus dicit 3. Ethic. quod forte sufficit sine iustitia operari. Neque quælibet tristitia contrariatur virtuti infusæ, sed ea tantum, quæ graviter adversatur rationi & legi Dei.

Objicies secundò: Virtus per se infusæ debet habere obiectum & motivum intrinsecum supernaturale: Sed motivum intrinsecum temperantiæ v.g. non potest esse supernaturale: Ergo neque

neque ipsa virtus. Major patet: virtus enim per se infusa est quoad substantiam supernaturalis; virtus autem supernaturalis quoad substantiam debet habere objectum & motivum intrinsecum supernaturale. Minor etiam manifesta videtur: nam motivum intrinsecum temperantiae est medio critas in cibo & potu: Sed hac non excedit ordinem naturae, sicut nec materia, in qua reperitur: Ergo &c.

15. Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem distingo Minorem: medio critas ut constituta per prudentiam naturalem, & in ordine ad finem naturalem non excedit ordinem naturae, concedo Minorem: ut constituta per prudentiam infusam, & in ordine ad finem supernaturalem, nego Minorem, & Consequentiam.

16. Obijcies tertio: Si virtutes cum gratia infunderentur, expellerent a iustificato vitia praesententia; contraria enim non possunt esse simul, sed mutuo se expellunt: At hoc est contra manifestam experientiam; videmus enim recenter iustificatos manere per aliquod tempus ita vitij affectos, proclivesque ad peccandam, sicut antea: Ergo &c.

17. Respondeo negando sequelam Majoris. Ad cuius probationem dicendum cum S. Thoma in 4. dist. 4. qu. 2. art. 2. ad 4. vitia non habere formalem oppositionem cum virtutibus infusis: Tum quia opponuntur formaliter virtutibus acquisitis; uni vero unum tantum est contrarium, ut ait Aristoteles 1. de caelo cap. 2. Tum etiam quia oppositio formalis non reperitur nisi inter ea, quae sunt ejusdem generis: vitia autem non sunt ejusdem generis cum virtutibus infusis, cum vitia sint ordinis naturalis, virtutes vero infusae supernaturalis; & naturalia, ac supernaturalia non solum differant genere proximo, sed etiam remoto, ut plures gravissimi Theologi docent. Unde nihil mirum si vitia adhuc remaneant introductis virtutibus infusis.

Addit idem S. Doctor quae. 1. de virtutibus art. 10. ad 16. In eo, qui habet habitum intemperantiae, cum conteritur, non remanet cum virtute temperantiae infusa habitus intemperantiae in ratione habitus, sed in via corruptionis quasi dispositio quaedam: dispositio autem non contrariatur habitus perfectio. De quo fustius in tractatu de vitij & peccatis.

§. III.

Corollaria praecedentis doctrinae.

18. Ex dictis inferes primò: virtutes morales per se infusas distingui specie ab acquisitis: respiciunt enim objecta formaliter diversa, ut in secunda ratione ostendimus, & declarat D. Thomas qu. 1. de virtut. art. 10. ad 8. his verbis: Temperantia infusa & acquisita conveniunt in materia, utraque enim est circa delectabilia tactus, sed non conveniunt in forma effectus, vel actus: licet enim utraque quaerit medium, tamen alia ratione quaerit medium temperantia infusa, quam temperantia acquisita: nam temperantia infusa exquirat medium secundum rationes legis divinae, quae accipiuntur ex ordine ad ultimum finem: temperantia autem acquisita accipit medium secundum inferiores rationes in ordine ad bonum praesentis vitae.

19. Inferes secundò, virtutes morales infusas infundi simul cum gratia sanctificante in instanti iustificationis: tum quia sunt proprietates gra-

Tom. III.

20. tia: tum etiam quia cum homo in eo instanti constituitur in esse, & vita supernaturali, debent ei ex tunc conferri principia ad omnes operationes hujus ordinis, subindeque non solum virtutes Theologicae, sed etiam morales infuse. Adde quod in instanti iustificationis totus homo interius sanctificari & renovari debet, tam secundum animam, quam secundum potentias, omnique gratiae suppellectili exornari: sicut autem anima ornatur per gratiam sanctificantem, sic potentiae per omnes virtutes, atque adeo debent haec simul cum illa infundi. Unde D. Thomas infra qu. 65. art. 3. in corp. Oportet quod cum charitate simul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo proficit singula genera bonorum operum.

21. Inferes tertio, in quolibet iusto tot ad minus dari virtutes morales infusas, quot acquisitas: eadem enim materia, quae ut regulata per rationem, & prudentiam naturalem, sunt objecta virtutum moralium acquisitarum ut regulata per rationem supernaturalem & prudentiam infusam sunt objecta formalia virtutum moralium infusarum.

22. Queres, utrum per actus virtutum infusarum frequentatos generetur aliquis habitus? Respondeo negativè. Etenim vel talis habitus esset ejusdem speciei cum infuso? & hoc non, quia duo accidentia solo numero distincta nequeunt esse in eodem subiecto, saltem naturaliter: vel esset diversae speciei? & hoc etiam dici non potest, quia actus generant habitus sibi similes; adeoque cum actus virtutum infusarum sint intrinsecè, & essentialiter supernaturales, non poterunt generare habitum naturalem, & diversae speciei. Fateor tamen, hoc ipso quod aliquis frequentat actus virtutum infusarum, ipsum disponi & facilitari, ut circa eandem materiam possit ex motivo naturali operari per virtutem acquisitam; ideoque ex uno motivo facile transire ad aliud, & virtutem acquisitam circa eandem materiam generare. Ex quo facile intelliges id, quod habet S. Thom. qu. 17. de verit. art. 1. ad 4. secundo loco positum, nimirum per actus charitatis & aliarum virtutum infusarum gigni habitum: non enim vult quod formaliter per illos actus generetur, sed dispositivè solum, quatenus per frequentationem actuum ex motivo supernaturali facilitari quis potest circa talem materiam, ut sub motivo naturali in illam feratur: sic enim credens per fidem infusam, & ex motivo supernaturali res ab Ecclesia propositas, facilitatur ad eas credendas ex motivo fidei humanae, puta quia sic à parentibus accepit.

ARTICULUS II.

An virtutes morales infusae, quae sunt circa passiones, in appetitu sensitivo subiectentur?

23. Certum est virtutes morales infusas, quae versantur circa actiones, quae sunt ad alterum, ut iustitiam & partes ejus, in sola voluntate recipi; appetitus animi sensitivus ob suam materialitatem potest tantum attingere bonum proprium, non autem bonum alienum, maxime si sit supernaturale. Unde praesens difficultas reducitur ad virtutes morales infusas, quae sunt

V u z

circa